



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 8. Papa pacis in Germania reducendæ studiosus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

exiguo tempore moratus est, relictisque iterum consanguineis, de ejus reditu gaudentibus, solus nemine conscio in montem Muretum in Territorio Lemovicensi positum enixus est, ibique tuguriolo ex ramis arborum in medio saltus extructo virginitatem Deo vovit, totum se Divino servitio addixit, annos natus triginta, atque in illo deserto, jejuniis & orationi vacans annos quinquaginta vitam duxit. Interea complures Discipuli ad Stephanum confluentes Ordini Grandimontensium originem dederunt.

Sæculum XI.
A.C. 1073.

§. VIII.

Papa pacis in Germania reducendæ studiosus.

Gregorius Papa semper tenerum affectum in Henricum Regem Germaniæ profitebatur, & vehemens desiderium, quo eum ab enormibus vitiis liberum, & Ecclesiæ Romanæ unitum videre cupiebat. Quod ex Papæ epistolis ad Rudolphum Ducem Sueviæ, Rainaldum Episcopum Cumanum, Imperatrici Agneti a Confessionibus, & conscientiæ arbitrum, & ad Brunonem Episcopum Veronensem cognoscimus. Tandem cum comperisset, totam Saxoniam conjuratam a Rege defecisse, datis literis, Vocolinum seu *Vezel* Archiepiscopum Magdeburgensem, Burchardum seu Bucconem

ep. 19. 20.

ep. 24.

ep. 39.

Sæculum XI. nem Episcopum Halberstadiensem, ad
 A.C. 1073. Marchionem *Dedi*, ceterosque Saxonie
 Procures hortatus est, ne ad arma pro-
 rumperent, sicut etiam hortatus fuerat
 Regem, donec ipse in Germaniam Nun-
 cios misisset, qui de his dissidiis cogno-
 scerent, & pacem reducerent. In hac
 epistola promittit Papa, se, nec ul-
 lius mortalis metu, nec alterius amici-
 tia ductum, curaturum, ut secundum
 Justitiæ leges cuicunque Parti læsæ sa-
 tisfieret.

Priusquam vero Legatos dirigeret in
 Germaniam, Concilium Romæ in prima
 Hebdomada Quadragesimæ celebratu-
 rus, Episcopos & Abbates Longobardiæ
 convocavit, datis duabus epistolis, alte-
 ra ad Sicardum Archiepiscopum Aquis-
 lejensem, altera ad Ecclesiæ Mediolanen-
 sis Suffraganeos; nam ad Godefridum
 Archiepiscopum excommunicatum scri-
 bere non poterat. In hac secunda epi-
 stola dicit, in Ecclesia Romana jam diu
 morem servari, singulis annis Concilium
 celebrandi.

§. IX.

Concilium Romanum.

¶ 51. 52. 53. Prima Quadragesimæ septimana, ut præ-
 stitutum fuerat, celebratum est Con-
 cilium, quod ex tribus Pontificis episto-
 lis, die decima quarta Martii anno mil-
 lesimo